

017

015

021

011

026

006

066

116

Ende

Anfang

2

tres mundi principales partes attingit haec peregrinatio, ut in processu secundae partis patebit. In super ea, quae mihi et aliis comperegrinis acciderunt prospera et adversa, amara et dulcia, ex proposito et a casu, et quaedam indifferentia, et aliqua singularia, intuitu vestrarum charitatum annotavi, et adeo ad particularia determinate descendit, ut narrandi modum excesserim, ipsamque narrationem intricatam quodammodo reddiderim. Contigit enim mihi sicut multum affectuosis frequenter accidere solet, qui dum ordinate, et de re, cui afficiuntur, aliquid dicere aut proponere debent, mox affectus rationem ^{crebris} praeveniens orationem ipsam ^{interrupcionibus} aut impedit, aut penitus confundit.

Qua in re (**B**) affectus magis pensatur, gratius acceptatur, liberalius remuneratur, et si quid forte inordinate actum fuerit, aut minus ornate propositum, affectui non effectui ascribitur, quod et mihi, utpote summe affectionato, tam ad vestrarum charitates, quam ad materiam traditam, oro fieri. Ut ergo clarius et latius possem vobis hanc, quam petivisti, descriptionem tradere, peracta prima peregrinatione in Conventu consistens, laboriose evagatus sum, peneque per omnes Canonicae et Chatolicae Scripturae libros legendo textus et glossas, peregrinalia etiam militum nova et vetera perlegi, et descriptiones terrae sanctae antiquas et modernas perspexi, de quibus omnibus tuli, quidquid deserviebat proposito meo, ex qua collectura grande volumen comportavi. Pro certo autem dico, quod non tantum laborem habui de loco ad locum peregrinando, quantum habui de libro ad librum discurrendo, quae ~~rendo~~, legendo, et scribendo, scripta corrigendo et concordando. Sed quia post haec omnia in multis dubius remansi et incertus, quia multa legeram et pauca videram, ideo, ut certiores vos redderem, et audentius scribere possem, Iterato mare transivi ad civitatem sanctam Jerusalem, ibique in locis sanctis multis diebus degi; post quos magnum desertum intravi, et per Arabiam ad montem Synai, et inde in Aegyptum descendi per oram maris rubri: Accipiens in omnibus his locis certitudinem, conferens ea, quae prius legeram et collegeram ad ipsa loca, et concordantias sanctorum scripturarum cum locis, et loca cum scripturis quantum potui, investigavi et

